

potest dici Exequor legitimus; idest à lege datus, ubi nullus esset exequor, maxime in legatis piis, vel ubi hæres, aut exequores Testamentarii, aut dativi essent negligentes, cogitur à Jure ipsa legata pia exequi, alias deficit notabiliter in suo munere, ac proinde non acceptando, & non exequendo peccat, *ad tex. in c. Præcipimus dist. 90., c. Nos quidem, Ubi Barbosa num. 7. de Testam., & de potestate Episcopi alleg. 82. n. 26., & ob ejus negligentiam succedit exequor Archiepiscopus, ut dixi supra, & in artic. de negligentia Episcoporum, quod autem ad id cogatur à Jure habetur, tum ex c. tua nobis de testam., Sanchez lib. 4. in opusculis c. 1. dubio 52., ubi inquit, an sit differentia inter exequorem, & habentem Jus eligendi Pauperes, quibus exequor debeat legatam pecuniam distribuere, & dub. 54., Diana p. 8. tract. 5. resol. 40. 57., & 61., Coccin. decis. 1008. num. 1. Regula 3., sit quod nequè in foro conscientie teneatur commissarius, & exequor acceptare officium, & munus exequoris, eo quia cū sit munus voluntarium, ut probatum est; ideoque neque tenetur in conscientia, nec obstat *glos. in c. sicut xi. q. 1., ex adverso allegata per Spin. speculo testam. glos. 28. num. 18., quia debet intelligi secundum Jurā quæ allegat, nempe c. Præcipimus dist. 90., qui tex. loquitur de Episc., & ad hoc fuit à nobis supra allegatum, non verò de aliis exequoribus.**

137 Limitanda tamen erit regula si ex eharitate cogatur acceptare, & contingere potest; si non acceptando munus, mens testatoris non impleteretur in præjudicium pupillorum, vel pauperum, vel Ecclesie, vel ea bona dissiparentur in pravos usus, & in hoc sensu loquitur Felinus in c. Pastoralis num. 6. de officio legati, ubi querit, an si quis non acceptando munus peccet, quando sequantur mala, ubi acceptando, pax componeretur inter partes, in eodem sensu pariter loquitur. *Immola in eodem c. Pastoralis num. 15., quatenus acceptando imponeret finem litibus, qui est actus charitatis, ut in circumstantia pari, quis tenetur acceptare Episcopatum, quando eo recusante bonum populi periclitaretur, vel in hæreticum, aut malum, & ineptum hominem decideret, & in hoc sensu pariter loquitur Diana p. 8. tract. 5. resol. 28., si*

cut in hoc sensu intelligitur *tex. in l. 1. ff. de muneribus, & honoribus, quatenus, si omnes Cives munera publica recusarent, bonum commune periret; ita, & Speculator in præcitato tit. de Instrum. edit. sub num. 55. Vers., sed & favore Religionis de Canonica æquitate videtur cogendus suscipere, & exequi.*

138 Dato autem, quod electus commissarius, & exequor suscipiat munus, tenetur diligenter exequi, alias si negligens per Episcopum cogitur, sicuti & hæres, ad allegata per Speculatorem supra dicto num. 55. *Vers. cogatur autem, c. Nos quidem de testam., & peccaret mortaliter, Barbosa de potestate Episcopi allegatione 82. num. 16.*

139 An autem si exequor negligat per annū, exequio devolvat ad Episcopum ipso jure, vel prærequiratur prævia monitio, seu interpellatio, quæ constituatur in mora, & bene observant Doctores in dicto *tex. c. Nos quidem ibi, ut eum commoneas, per quæ verba importatur necessariò, præmitendâ præmonitionem, ex pluribus allegatis per Barbosam in eod. c. Nos quidem num. 2., Sanchez in Opuscul. lib. 4. c. 1. dub. 54. num. 10., Antonell. de temp. legali lib. 2. c. 36. num. 2., Ubi quod añus incipit à die monitionis, Barbosa de potestate Episcopi alleg. 82. num. 18., & in c. Tua nobis num. 3. de Testam.*

Unicam autem sufficere monitionem, agendo ad hunc effectum, ut exequio devolvat ad Episcopum per negligentiam exequoris *Barbosa ibid. num. 25., secus ad effectum privationis Emolumenti sentit Spin. dicta glos. 28. num. 39., quia tunc duæ requiruntur monitiones ad tex. l. licet C. de Episc., & Clericis, nisi monitio fiat personaliter, ut alii distinguunt, & in hoc sensu videtur loqui Barbosa.*

140 Casu quo exequor jussus sit à testatore vendere bona hæreditatis, & pauperibus pecuniam distribuere, vel in aliud opus pium infumere, si hoc differat exequi, an ex tali negligentia peccet, & ab Episcopo puniri possit; & communis sententia Theologorum est, peccare mortaliter, *ad tex. in c. Qui obligationes defunctorum 13. q. 2., ubi qui aut negant oblationes defunctorū, tradere Ecclesiis, aut difficultè reddunt, tamquam egentium necatores excommunicantur, excommunicatio enim non infertur nisi pro mortali; Sed difficultas est, si dila-*

si dilatio fiat, ut majori pretio vendantur, quasi tunc gerant rem utilem Ecclesie, vel pauperibus, quibus pinguiori elemosina subveniatur, & in hoc casu distinguit. *Sylvester V. Testamentum 2. q. 9., quod si dilatio sit brevis judicio prudentis, & pretii Majoritas, seu augmentum sit notabile, tunc non peccabit, si verò dilatio sit longioris temporis, vel pretii augmentum sit modicum, tunc peccabit, & etiam graviter, quia potest contingere, quod usque ad executionem anima testatoris detineatur in purgatorio, sicque gravissimas illas pœnas diutius sustineat, quod multum præponderat commodo speratæ subventionis pauperum, vel Ecclesie; Quod autem in hoc casu dicatur longius tempus, & nimia dilatio remittendum est arbitrio Episcopi, qui in hac materia est primus prudens, in cujus prudentiam Sacri Canones cuncta reiciunt, & hæc virtus primo, & principaliter in Episcopo requiritur potius, quam scientia singularis, c. qui Episcopus dist. 23., Barbosa latius de potestate Episcopi p. 1. tit. 2. glos. 6., ubi examinat Verba Pauli Apostoli, oportet Episcopum esse prudentem; ad quod allegat D.D., Sanchez Opuscul. lib. 4. c. 1. dub. 33. num. 8., Diana p. 4. tract. 4. resol. 162. Vers. & tandem nota, post medium, ubi etiam notat, quod licet exequori datus sit annus ad exequendam voluntatem testatoris; Antonell. de tempore legali lib. 2. c. 36., hoc intelligitur pro foro externo, & ad effectum, ut Episcopus post annum assumere valeat officium exequoris, at pro foro conscientie, tenetur ante illud tempus, & quam citius fieri potest, ut est vero similis intentio testatoris, Barbosa de potestate Episcopi alleg. 82. num. 23., unde si notabiliter differat, negligentia erit culpa mortalis. Antonell. supra num. 2., ubi quod in præjudicium animæ testatoris, aut pauperum ignorantia exequoris non excusat, quin devolvat ad Episcopum; ubi num. 3. limitat, nisi legitime impediatur, vel ex natura rei expediendæ, quæ infra annum expediri nequit, vel ex alia causa, propter hoc necesse est monitionem præcedere, ut exequor possit allegare excusationem, si habeat, tunc enim non esset negligens, nec ei currit tempus, Barbosa de potestate Episcopi dicta alleg. 82. num. 22., & confirmatur ex iis, quæ diximus in prima parte, quod negligens non*

est, qui aliqua excusatione se potest tueri: *reg. non est in mora de reg. Jur. in 6.*

142 Neque Episcopus potest excludi ab hac executione, data negligentia exequorum, etiam si testator prohiberet, quod ad Episcopum non devolvat, ut expressè cavetur in c. Tua nobis, de testam., & bene notat *Barbosa dicta alleg. 82. num. 27., limita tamen nisi negligente primo exequore, testator alium substituerit, quod potest facere, & mens, ac voluntas testatoris esset servanda, quia provisio hominis facit cessare provisionem legis. Antonell. de tempore legali lib. 2. c. 36. nu. 7. 8., Diana p. 8. tract. 5. resol. 56.*

143 Adquem Episcopum devolvat hæc executio data negligentia exequorum, an scilicet ad Episcopum loci, ubi sita sunt bona, vel ubi testator morabatur, & mortuus est, disputat *Diana dicta p. 8. tract. 5. resol. 59., ubi duas refert sententias, quas conatur conciliare, & ibi videas.*

144 An si exequores testamentarii negligant exigere debita sint in culpa, & teneantur ad damnorum refectionem, si postea fiant inexigibilia; pro responsione, supponendū est, quod nomina debitorum sint bona, & sint revera exigibilia, alias in exequore nõ daretur negligentia, c. Imputari 41., c. Nemo potest de reg. Jur. in 6., & l. Impossibile ff. de reg. Jur., ideoque ad condemnandum exequorem de negligentia necesse est, quod legatarius, vel quisquis alius de cujus interesse ageretur, probaret nomina illa debitorum fuisse exigibilia de tempore mortis Testatoris, & per tantum tempus, quo exequor potuisset debita adhibita diligentia exigere, sicuti supra hoc artic. probatū est, quod ut hæres fideicommissarius teneatur ad damna de non exactis, si debitor factus sit non solvendo, debet substitutus probare, quod nomina debitorum erant exigibilia de tempore mortis testatoris, & per tantum tempus, ut hæres fideicommissarius potuisset exigere, alias hæredi non imputabuntur, neque exequori.

Hoc ergo posito remedium est, quod si exequor negligat exigere, possit ab Episcopo cogi, c. Tua nobis, c. Joannes de testam., ex quo sequitur, quod teneatur diligenter curare exactorem, tamquam munus acceptatum, ut supra dictum est, tanto magis, si ex commissione sibi facta à testatore, aliquod commodum recepit, ut legatum

tum &c., deficiendo igitur erit in culpa, & non liberabitur, legatariis Jura cedendo
 145 *ad tex. in l. si legatarius, de legat. 3.*, ubi
glos. in Vers. si non culpa, notat, quod si exe-
 quor nullum sentit commodum, tenebitur
 tantum de dolo, si verò aliquod com-
 modum sentiat; tenebitur etiam de culpa,
Speculator tom. 2. tit. de Instrum. Editione S.
3. Nunc verò sub num. 38 in fine, & num.
 39., ubi assignat plures modos, quibus le-
 gatarii agere possunt contra executores ne-
 gligentes.

Quæ tamen locum habent, ubi testator
 non disposuisset expressè, quod executor
 cederet nomina debitorum, talia, qualia
 legatariis, vel directè legasset ipsa nomina
 legatario, quia tunc executor non tenetur
 exigere, sed liberabitur cedendo nomina
 debitorum legatariis.

146 Contingere potest, quod testator comi-
 serit secretò executionem suæ voluntatis
 in aliquo adimplendo, & quod executor
 negligat, vel mortè præventus; aut alio
 accidente nimium differat implere, quo-
 modo tunc poterit Episcopus negligentiam
 hujus executoris emendare, & ratio potif-
 fima dubitandi est, quia Episcopo inote-
 scere nequit, in quod opus disposuerit tes-
 tator, an pium, vel profanum, ex quo
 secretò ad aures commiserit, nec cuiquam
 sit revelatum, & in hoc casu difficile dicit
Fagnanus in c. Tua nobis num. 58. de testam.,
 mentem testatoris nobis ignotæ ad unguem
 adimplere, quia cum mens testatoris possit
 esse ad causas non pias, immò verissimilius
 videatur arguendum fuisse ad causas non
 pias, quia causa pia tantum secretum non
 videbatur requirere, nam qui benè agit,
 palam operatur, è contrà, qui male agit,
 odit lucem, ne arguantur opera ejus; idèd
 refertur à *Fagnano supra num. 60.* Auctor,
 qui consulverat legatum in eo casu fieri ca-
 ducum propter defectum legatarii, equius,
 tamen, & benè respondit Fagnanus, quod
 in tali casu Episcopus poterit legatum exe-
 qui in pios usus, quia in dubio favorabilior
 pars eligitur pro testatore, & mens inter-
 pretativa testatoris videtur, quod pruden-
 ter agendo in meliores usus disposuerit, *ad*
reg. Inspecimus in obscuris, quod est verissimilius.
reg. 45. de reg. Jur. in 6., & concordat *tex.*
in l. obscuris ff. de reg. Jur., quod intelligo,
 nisi ex conjecturis, & circumstantiis aliter

colligatur.

147 Tandem noto quod licet negligentia hæ-
 redis noceat fideicommissario, *ad tex. in l.*
si hæres, §. si temporis, & ibi *Bartol. ff. ad*
Trebell., qui etiam in *l. hæres ff. de condit.*,
 & *de monstrat. tract.*, qualiter negligentia
 unius possit nocere alteri, tamen negligenti-
 a cohæredis aliis non debet esse damnosa,
l. Rem hæreditariam in fine ff. de evictionibus.

148 Hæredes Clerici beneficiati, qui dum
 Viveret neglexit reparare domum benefi-
 cii, vel Ecclesiam, tenentur neglecta re-
 parare, & ad id possunt cogi ab Episcopo,
 appellatione etiam remota, ut bene notat
Salgad. de protect. Regia p. 3. cap. 5. num. 24.
 25., videatur Votum in Articulo de Ne-
 gligentia Parochorum.

149 Testator legavit Titio centum, & si hæ-
 res centum non daret, legavit eidem fun-
 dum, hæres non dedit centum, & sic ipso
 Jure transit in ipsum Titium dominium
 fundi, quærit *Bartol. in l. si Insulam num. 19.*
ff. de Verb. oblig., an hæres possit purgare mor-
 ram, & sic negligentiam medelam afferre
 dando centum, Resp. quod cum execu-
 tio sit facta à Jure, sicut quando est facta
 ab homine, tunc mora non purgatur, ra-
 tio est à nobis allata in prima parte, quia
 post executionem res non est integra. Fui
 requisitus à Dominis Syndicis Monialium
 Sanctæ Claræ profitentium summam pau-
 pertatem, & observantiam primæ, & stri-
 ctioris Regulæ ejusdem Sanctæ Virginis
 Institutricis, quæ vulgariter Capucinæ nū-
 cupantur, an legata per pios Testatores fa-
 cta ad favorem eandem Monialium non so-
 lum pro unica Vice solvenda, sed etiam
 annua, vel in pecunia, vel in speciebus
 ut Panis, Vini, Lignorum ab igne &c.,
 pro Ecclesia, & Sacristia, ac paramentis
 manutenendis, Missis celebrandis, & pro
 Victu, & Vestitu earundem, valida sint,
 ita ut non solum extrajudicialiter peti, &
 exigi, sed etiam in Judicio, tam in foro
 Episcopali, & Ecclesiastico possint, qua
 actione, an solum implorando officium Ju-
 dicis, sed & servato Juris ordine ad Instā-
 tiam Syndicorum, nomine Monialium,
 vel potius ipsorum Syndicorum, vel etiam
 instante quolibet de populo; etiam in foro
 laicali agendo contra hæredes morosos, &
 negligentes; etiam si Moniales ipsæ Verbis
 enixè recuset hunc agendi modum, quasi
 sibi

sibi videatur lædere summam illam pau-
 pertatem, quam in sua Religiosa professio-
 ne sibi proposuerunt servandam, exactè
 ostenditur exigi posse, ut in sequenti Voto.

V O T U M.

150 **M**onialibus Capucinis nostræ Civi-
 tatis Ferrariæ profitentibus pri-
 mam, & strictiorem Regulam
 Sanctæ Claræ, plura legata facta sunt,
 alia unica præstatione, & solutione implē-
 da, alia annua, non expresso in quem usū
 infumenda, alia in pecunia, alia in rebus,
 puta Vino, Tritico &c. solvenda; aliisque
 speciebus &c.

Disputatum fuit, an omnia prædicta le-
 gata sustineantur, & quomodo agendum
 contra hæredes negligentes, aut recusantes
 solvere.

151 Rationes dubitandi plures sunt.

Prima, quia Capucinæ sunt, profitentes
 strictiorem, & summam paupertatem ju-
 xta Regulam primam Sanctæ Claræ, quæ
 prohibet habere bona etiam in communi.

Secundo, quia videntur exceptæ in *Trid.*
sess. 25. c. 3., sub nomine Capucinatorum,
 qui excipiuntur à concessione habendi, &
 possidendi bona, etiam in communi, pro
 ut sentiebat *Moscon. relatus à Suarez. tom.*
4. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 12. num. 1., quia
 Masculinum concipit Fœmininum, *Bartol.*
in l. 1. ff. de pecul., *Aretin. Consil. 50. col. 1.*

Tertio, quia si *Trid.* concedit in dicto c. 3.
 Mendicantibus, ut possint possidere, id
 debet intelligi de jam quæsitis, non verò
 acquirendis, ut minus lædatur Votum pau-
 pertatis.

Quarto, quia Moniales Capucinæ Ferra-
 riæ traxerunt exordium ab anno 1609., &
 sic post *Trid.*, cumque in suis constitutio-
 nibus specialiter habeant prohibitionem ha-
 bendi etiam in communi ad notata, etiam
 per *Portell. 2. p. respons. Moral. casu 24. in*
principio, *Hondedeum Consil. 76. nu. 4.*, cen-
 sentur per hoc renuntiasse beneficio, *Trid.*
c. 3., etiam si in eo sub nomine Capucino-
 rum non essent exceptæ; tum quia quisque
 potest renuntiare favori pro se introducto,
l. si quis in conscribendo C. de Episcopis, & Cler.
l. penult. C. de pactis, pro ut de facto beneficio
d. c. 3., pro domibus professis renuntiarunt
 Patres Societatis Jesu de Anno 1565., Te-

ste *Sanchez ad Decal. lib. 6. c. 18. num. 11.*,
Barbo. ad Trid. dicta sess. 25. c. 3. num. 8., &
in c. unico num. 5. de religiosis domibus in 6.,
 tum quia per actum contrarium, nempe
 per professionē regulæ contrariæ huic bene-
 ficio tacitè saltem censetur renuntiatum,
c. cum accessissent de constit. c. Accedentibus,
c. si de terra, c. porro, c. recepimus de privil.,
Sylvester. Vers. Privilegium q. 10., *Bonac. de*
leg. d. 1. q. 3. puncto 8. §. 6.; *Novara de elect.*
fori q. 13. num. 13.

152 Vel dicendum non acceptasse hoc privi-
 legium, quod poterant non acceptare, cū
Tridentinum utatur Vers. liceat eis possidere,
 quod est facultativum, *Barbosa de dictionibus*
dict. 191. num. 5.

153 Nec relevaret si diceretur, quod primæ
 Moniales, quæ hanc regulam acceptarunt,
 non potuerunt præjudicare successoribus,
 nam in Universitate successores censentur
 unum, & idem cum prædecessoribus, *l. Pro-*
ponebatur ff. de Judic., *l. sicut Municipium 7.*
§. in decurionibus ff. quod cuiusque Univers. no-
mine, *Loeus de Universitate p. 1. c. 1. num.*
6., *Antonell. de tempore legali lib. 2. c. 80.*
num. 5.

154 Maximè quia hoc beneficium respicit fa-
 vorem ipsarum Monialium tantum, cui
 tunc regulares possunt renuntiare, *Rota*
coram Rembold. post Tamburin. impressa tom. 3.
de Jure Abbatum decis. 81. num. 15., & *co-*
ram Coccino decis. 82. num. 10. ibidem impres-
sa, *Sperell. decis. 104. num. 87.*

155 Et urgetur in casu nostro, quia cum Mo-
 niales Capucinæ in hac Civitate fuerint à
 Reverendissimo D. Jo: Fontana tunc Epif-
 copo dispensatæ à rigoroso, & quotidiano
 Jejunio regulæ tandem ipsis Monialibus in-
 stantibus ex Decreto D. Card. Lenii suc-
 cessoris in Episcopatu talis dispositio fuit
 sublata, ex quo aparet, intentionem Mo-
 nialium fuisse, & esse profiteri primam re-
 gulam in summo rigore Paupertatis, &
 Observantiæ.

Quare saltem ex vi Voti videntur inca-
 paces habendi in communi.

156 Quinto, quia Profitentes regulam San-
 cti Francisci Capucinatorum, vel Minorita-
 ram, ut nostræ Moniales Capucinæ sunt
 incapaces annuorum legatorum, quæ ve-
 niunt nomine stabilium; *Clem. exivi §. quia*
igitur de verborum signif., ubi, quod etiam
 sunt incapaces prætium, & valoris bonorum